



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 17. Pax inter Daniæ & Sueciæ Reges restituta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. clysterem, quo etiam paulopost ad su-
 A. C. 1613. premas mortis angustias redactus est.
 Ne vero relicta in corpore vestigia ve-
 neni suspicionem ingererent, mox Frank-
 linus, & Westonus Overburium cum
 morte luctantem injectis lecti stragulis
 oppresserunt, mortuumque nulla mora
 ac sine omni pompa sepelierunt, sparso
 in vulgus rumore, quod corpus ejus
 ex pustulis tantopere deformatum esset,
 ut diutius extra sepulchrum sustineri
 haud potuisset. Tam crudeli ac pro-
 pudiosa morte vitam, famamque amit-
 tere cogebatur infelix hæc muliebris
 libidinis victima Robertus Overburius,
 qui Vicedomini nunc carnificis sui, olim
 vero intimi amici commodum & glo-
 riam unice augere intentus, totam ne-
 gotiorum molem, quæ soli Carro nimis
 onerosa fuisset, semper suis humeris
 imposuerat, rei autem bene gestæ ho-
 norem & gloriam soli amico suo inte-
 gram relinquere assuetus erat.

§. XVII.

*Pax inter Danicæ & Suevicæ Reges
 restituta.*

Jäger. Hist. Eccl. l. 2. c. 7. Pax Suecos inter & Danos, quamprimum Gustavus Adolphus Regni gubernacula capeffebat, urgente Jacobo I. Angliæ Rege tractari cæperat, ast sub-
 inde

inde post, felicioribus plerumque Da-
 nicis successibus interpolata fuit: ubi
 vero tam pestilentiae quem famis vio-
 lentia in Calmaria & Oelandia Dano-
 rum pene innumeros absumeret, &
 Sueci viribus exhaustis belli molem su-
 stinendo haud ultra pares essent, mu-
 tua necessitas tandem conficiendae pa-
 cis consilia extorserat, acceptatis ut-
 rinque hisce legibus. I. Rex Suevus
 Danis Sonneburgum in Insula Osilia ce-
 dat, & Norwego - Lapponum ab ali-
 quot annis usurpato dominatus supremi
 titulo semet abdicet, ac belli expensa-
 rum nomine, legeque restitutionis, per
 intervalla pendet aureorum nummum
 duodecies centena millia, pignus in-
 terea plenae solutionis Halesburgum in
 Danorum Regis possessione hæreat, re-
 lictis Victoris arbitrio navigiis, belli
 tormentis, aliisque. II. Dani erepta
 Carolo Sueco, Regni propugnacula Col-
 mariam, Helesburgam, atque Oelan-
 diam Insulam reddant. III. Aquis par-
 tibus tam Dani quam Sueci Sundicum
 Vectigal percipiant: IV. Utrique etiam
 Regi triplicem coronam in suis insigni-
 bus gestare, integrum sit. His pactis
 inter hos Reges pax & concordia re-
 stituta est, quæ tamdiu firma substitit,
 donec eam amplioris potentiae cupidi-
 tas, semper quietis impatiens, poste-
 riori-

Sæc. XVII.

A. C. 1613.

*Hoyers hist.**Dan.**Cluver. hoc
ann.*

Sæc. XVII. rioribus bellis infirmaverat, novo Rege
A. C. 1613. novas armorum refodiente caussas.

§. XVIII.

Smolenscum, aliaque loca a Moscovitis recuperata.

*Merc. t. 10.
l. 1. p. 69.*

Exeunte Mense Septembri Moscovitæ Smolenscum, quod Poloni nuper occupaverant, cum ingenti sexaginta millium armatorum exercitu cinxerant: Cosacci quidem nulla mora misso ad Cotevitium Polonici exercitus Ducem nuntio, subsidia, copiasque auxiliares sibi quamprimum submitti petierunt: cum autem hic Bellidux in biennali tumultu facile duodequingenta millia militum amisisset, obsessis præsto esse haud poterat, quocirea Cosacci & Heiducci ferme omnes dilapsi sunt, non nisi trecentis Germanis militibus in urbe relictis, quos ad deditioem coactos Mosci occupata urbe & arce misere trucidarunt, recuperatis omnibus, quæ Poloni hætenus eis eripuerant. Ipse etiam Cotevitiæ Dux prævalente sensim Michaele Fedrowizio, Russorumque perfidia, tandem cum suis e Moscovia penitus recedere compellebatur: Tartari vero vel a Moscis conducti vel suapte potius ferocia impulsæ, numero vicies mille Podoliam Poloniæ Regionem